

**LOUIS NOTARI**

# **FABULA**




# **DE SANCTA DEVOTA**

(traduction latine du poème monégasque de 1927)

# Cantus primus



**PRIMUM PROOIMIUM**



*Mùnegu ẽra ün picenin paise,  
Ma u so aspetu, lonsi d'esse tristu,  
Ün mesu d'ë muntagne ün pocu grise,  
Ẽra ciü belu che nun è aũra.*

Circa trecentos annos post Christi Nativitatem, Monoecus parvus vicus erat ; attamen, inter cinereos colles, adeo asper non videbatur ut certo pulchriorem quam hodie se praeberet.

Majores nostri qui in Rupe vivebant, pauci erant ; sed portus noster ab omnibus navigantibus pernotus erat et plures quidem naves eo intrabant quam nunc, cum tamen pauciora negotia agerentur.

Ubi nunc sunt gasometra ibi erat sepulcretum posteriore anno inventum ; erat quoque parvum trapetum et omnes sciunt eumthesaurum quem in Museo vides ibi quoque inventum esse, quod efficit ut vel rudisissimus nobiscum censeat in illa parte Condominionis nonnullas fuisse aedes ; cetera autem usque ad collis culmen nihil erant nisi rus, haud tamen desertum rus !

Immo, erat floridus hortus, insitus magnis citreis et aurantiis et mandarinis et ficis et palmis et aliis plantis apricis.

Olim hortus ille cingebatur ingenti et obscura silva quae extendebatur in montibus totis usque ad Petram Cavatam et ab Stereli usque ad longinquissima loca ad Savonem et Sabatiios et descendebat usque ad maritimos scopulos et circa regionem nostram, prope oram ipsam hortorum a majoribus cultorum.

Tam in Scrobis vico quam ad Barmarinam, etiam nunc invenitur aliqui querculus cujus aetas non numeratur in saeculis sed in horis, misera virgulta quae caput e dumis vix educit ut venatori praetereunti generis nobilitatem enarret.

Ad Grimam, pinus quoque humili statura sunt prae antiquis ; attamen, post Majoris Domum una est quae, haud quidem annosissima, nobis tamen ostendit quid possit esse pinus aetate procedens.

Duo milia abhinc annorum, mos non erat silvas decidi ubi primum tricennales factae sunt ; fere nemo eis nocebat nec saepe silva aliqua incendebatur.

Illo tempore circum Monoecum crescebant quercus millenariae et immanes fraxini et giganteae pini quae una cum ulmis ad caelum exsilibant.

Ad Montem Gelidum ilices quercusque fere usque ad culmen ascendebant et Mons noster praestantissimus erat obscura coma praeditus.

Sicut facere solent senes, candido capillum unctitabat ; aliquotiens totum culmen nubibus implicabatur et caelum se demittebatur ut eum cum aeterno mundo jungeret.

Et torrentes nostri, quos nunc non videmus nisi per dies multos pluit, perpetuo fluebant, et omnia circa, in omnibus jugis quo oculorum acies intendere poterat, viridia et salubria erant, omnia erant vivida et robusta.

Lusciniae fauces, Mularum Mons, Bustaniarum vicus cooperiebantur altis pinis quae fortasse primos Magni Majoris Nostricomites praetereuntes viderant, adeo annosae et pulchrae erant.

Fontes ubique susurrabant et aves ubique cantabant et in illo mundo nunc deleta omnia ferarum genera abundabant.

Quod certissime probant ossa quae in speluncis inventa sunt, eo illata ab hominibus aut undis.

Sive ad sanctum Martinum sive in Conspicillii Rupe, ea permulta et acervata reliquia in locis refugiorum similibus inventa sunt, et sunt haud dubia testimonia.

Nemo plane dicere poterit a quo tempore ursus et lupus et hyaena et panthera et cervus et caprea et rupicapra in specibus inventa una cum indomito equo et bisontem in terra dormiant, nec lepores neque Alpinum murem numero : quam longe omnia ea temporis fines rejiciunt !

Etsi eorum ossium aetas non ascribenda est, censere tamen licet omnes illas feras, parvas tamquam magnas, prope majores nostros olim vixisse, atque ut libere se moverent et absconderent, opus eis fuisse amplis silvis circumstantibus : vividis liquoribus, altis speluncis quo die et nocte irent venirentque

Circa tamen trecentimum annum, Romanorum instar, majores nostri in saxis parvum ordinem jam imposuerant et sola colebant : ad Canis Caput, Monoecenses viridia et amoena pascua atque areolas tritico, secate hordeoque satas disposerant, quibus posterius Turbicesenses potiti sunt !

Si forte quando ad Cavernam ascendes, videbis ad orientem, in vetereto omissa sine ullius animadversione, etiam nunc superesse nonnulla illo tempore aedificatorum murorum reliquia.

In Revolitoriorum vico illae magnae oleae quas nunc videmus modo satae erant, quas, evulsione imminente, fortasse, Deo juvante, servare tamen poterimus !


Universae scilicet non servabuntur, sed nonnullas in puerorum horto saltem tutabimur ; et in illo tutissimo nemore, nepotes filiorum nostrorum in umbra lusum venient et, quis scire potest ? in mente fortasse volutatum priscorum Monoecensium consilia.



# Cantus secundus



**SECUNDUM PROOIMIUM**



*De chili tempi, řa nostra mařina  
Deviva se semiyà ün lagu d'eři,  
Sürtù au mitan d'u Portu, a Cundamina ;  
Ma d'eři verdu e blü...*



Illis temporibus totum Speluncorum litus satum erat amygdalis, alacribus arboribus quae, etiam hieme, exemplum praebent cum, ad solem adspiciendum, somnus reliquendus est palpebraeque allevandae.

Belli-Litoris Hospitium, nunc ibi repertum, prisci nominiscujusdam memoriam fortasse tenet, in locum alterius recentioris, atque sane mirum est videre hanc insolatam oram, ad extremum januarium, floribus coopertam.

Sub floridis amygdalis primae rosae violaeque nascebantur : tam odoratae quam hodie, virginum sensus exturbabant.

E Provincia advectus, Romanus poeta quidam illac praeterierat : locorum amoenitate captus, ibi constiterat et dictus est egisse, remotus, laetissimos aetatis suae annos ; postea, cum prope attigisset vitae fines, fanum sibi aedificavisse.

Bellum et parvulum fanum, totum e candido marmore, subtilissimo omnium, circumdatum pergula cooperta syringis iasminisque.

In imo fano, in ara conspiciebatur signum ejus numinis quod, Romae, Ver fingit, tanta arte perfectum ut vividum crederetur.

Qui Romanus poeta vicinismagnum legatum reliquerat ut quotannis feriae pararentur, sicut antiquus mos Romanus erat.

Et quotannis, januario mense, ubi amygdali florent, virgines omnes circumhabitantes eo veniebant se oblectatum et floribus coopertum.

Circum marmoreum fanum iasmino odoratum veniebant violarum fragrantiam haustum ad ebrietatem.

Aliquotiens illae feriae occurrebant eadem die ac alterae, multo antiquiores, quae, sicut apud Phoinices, in litore, in maris ora agebantur.

E maris statu et ratione habita aestus deversi et maritimum impetuum et ventorum et malaciarum et imbricorum aut pruinosorum dierum, ab antiquissimo aevo, piscatores et maritimi homines februarium piscationi sardinarum pisciculorum et januarium lepadum collectione indicare solent.

Quod significat — non est magis explanandum propterea quod omnes jam intellexerunt — januarium esse jucundissimum mensem, quod ad mare attinet.

Si autem cogitabis anni tempora, mille abhinc annos, multo compositiora fuisse, tantum hoc modo judicabis quid fuerit, illa aetate, mare nostrum januario

mense : sine dubio simile erat, maxime in Condominione, in medio portu, aequoris oleacei, olei viridis et caerulei in quo virgines solebant se adspicere eodem modo quo, sub vesperem, claraluna et marmoreae pergulae floribus ornatae se inspiciebant.

Et, in lucro ponentes quietissima tempora, Monoecenses elegerant januarium ad Magnam Deam colendam quae, secundum generis nostri majores, in imo mare habitabat et ventos fluctusque regebat.

Qua de re veteres fabulae consentiunt, et simul ac fabulae, res traditae probant majoribus nostris illas ferias maximo in honore fuisse in anno, quia omnes sine dubio essent, id clare judicas, maritimi homines. Universi Graeci Romanique antiqui auctores nobis dicunt Deae Florae ferias tum pulcherrimas fuisse una cum feriis Neptuno sacris.

Anno autem trecentesimo quarto (Deus ipse res regit), evenit ut Neptunalia incurreret vicesimo septimo die januarii, illo ipso tempore quo amygdala erant sicut candidus fasciculus.

Illo tempore hic non erant scholae nec functionarii nec quisquam questus erat quod utrumque festum unum conjungeretur ; immo honestis mulieibus et operariis et negotiatoribus placebat.

Id ceteris quoque pariter placebat, omnibus otiosis qui semper exspectabant, sicut facis, opportunum oblectationis tempus.



# Cantus tertius



**MANE**



*E'ra ün de chili giurni beli ciaiři  
Cuma fe'ra d'aiçi nun se ne vide  
E, meme aiçi, nun ne vidimu gaiři  
Che depu l'aiga o ün bon Mistrau sulide.*

Fuit clarus serenusque diesquidam talis qualis apud nostantum conspicitur, etiam si non saepe conspici potest, nisi postquam pluit vel cercius spiravit : dies nitidus a dulci tenuique sole qui te mulcet et in venas influit et voluptatibus te implet sicut parvum lacertum qui eum haurit.

Illis diebus, a Palatii munitioibus, longinquum prospectum vides quasi proximus esset : promontorium Martini atque Burdigeram, culmen Montis Gelidi et usque ad Cunas.

Tam purus, tam leviserat aer ut Terra Caelumque in unum conjungi viderentur : si nimis res fingeres, putavisses in avis alis te sublime, maxime sublime volare posse, usque ad eum locum ubi Deus nos aliquando manet ; tanta tamen circumcircaerat lux, tam caeruleum erat caelum, tam serenum ut potuisses voces e caelesti mundote percipere expectare, neque attonitus esses nec mirareris.

Multo mane, ante lucem ipsam, nullo adjuvante ut e somno excitarentur, piscatores in marinas conchas (easdem quibus in fodinis utimur) inflaverant ut aures dormientium aperirent et populum monerent, viros et mulieres et pueros tam mares quam feminas, quos sole mne adire debebant.

Longiora erant sacra quae perdurabant longius quam magna missa nostra, etiam apparate perfecta cum diuturnis benedictionibus.

Nam majores nostri, cum pagani essent et personas quasdam colerent quae non dignarentur reverentia viri deterrimi ne canis ulliusquidem, religionem tamen venerabantur tali modo qui nobis documento esse possit, his sine studio dictis.

In primis conveniebant circum templum quod Phoinices Majorem Primum colentes in extremo Rupis nostrae angulo aedificare voluerant : ubi nunc est Museum, haud multo secus.

Postquam generis Patrem oraverant omnibus modis, nixi genibus vel stantes vel precantes, ictu clavae quae vitam renovabat mactabant atrum taurum capite lato et laneo villo et feris oculis, quem e Campo Marii arcessiverant.

Universi jusjurandum dabant se finium nostrarum libertatem defendere et personae jus et jus belli cum vexatoribus, sine ulla pactione.

Et, dum cantant Magni Avi gloriam, in ingenti busto accenso, sicut mos erat, acri igne illum atrum taurum comburebant, qui imagines proponebat omnium monstrorum quisquiliarumque extinctorum ab Herculo dum vivit.

Deinde omnes in longo ordine ibant, a senioribus ducti, junioribus sequentibus, et ad Condominionem descendebant celebratum coram multitudine ferias maris numinisacras.

Erant enim, praeter Monoecenses, homines e vicinis locis orti, Avisione (Esa) et Rupe Fusca, et alii etiam qui, e montibus descententes, per biduum iter fecerant et feriarum opportunitatem capiebant ut vitrea et aes emerent, vel medicamenta quae e longinquo venerant neque usquam nisi in tali portu inveniabantur, ubi illo tempore stationes faciebant omnes nautae negotiantes, sive cutis eorum esset coloris candidi sive fulvi sive tam nigri quam atramentum.

Latinus liber quidam hoc attestatur : ubi argentea tubae resonabant ad signum magnae caerimoniae dandum, navisunaquaeque vexillum in vento propere tollebat omnesque silebant ; viri et mulieres et pueri genu flectebant, omnes nautae capita nudabant et tubae quater idem signum emittebant ad quatuor ventos, ad euronotum et ad cercium et ad graecum ventum et ad libem, ventum a mare ortum.

Sacerdos aliquis deinde priscum volumen legebat, qui in tabulario non est repertus ; ad maris ripam appropinquabat et, in parva ara ibi erecta, molam salsam parabat ; postea tur urebat et, totus in precibus, candidi ovis sanguinem mittebat, cujus cornua ambo et quatuor pedes inaurata erant, et sanguis vivam aquam colore Punici mali florum tinguebat.



# Cantus quartus



**MERIDIE**



*Da i zerbi d'a mařina arivu ünseme  
U petulin, a mürta, u ciapa-musche,  
U püve d'ase, a rüa, ři lantusche ;  
E semiya che ve digu : « alè : ciapeme ! »*



In tali tempore, ut mos erat illis aetatibus, universi in litore, in maris ora prandebant : etiamnunc, in veteribus familiis, satis constat vicesimo septimo die januarii largam mensam parandam esse, at, bellariis exceptis, licere tantum piscatum comedere.

Illo tempore religiosum erat, maris die festo, nihil comedi nisi ortum esset ab aquae sinu, etiam farinam ad panem faciendum non coqui licebat nisi cum apuarum sorbitione subigeretur.

*Pissadelam* quaesolum displicet eis qui cibum non appetunt, *sardinam* quam antiqui nostri parabant, *pissaladieram* vicinorum nostrorum, eas ducamus recordationes illarum dapum, propterea quod certo oriuntur, sine fortasse ulla mutatione, ex illo panis genere Deo Maris Majorum nostrorum sacro.

Inde quoque orta sunt, aliter quidem, *focacia* quae omnes, tempore Sanctae Devotae, saepe comedisti, memoria aut forte adducti.

Quae in familia mea, in mensa numquam non regnabant, ut prandium festi diei Dominae exornarent ; creditur enim peccavisse nisi per illud signum sancta defunctorum nostrorum festivitas renovaretur, qui focacia habebant poemata nequea religione libertatem simulabant.

Semper aderant ad unumquemque festum diem et memoriam felicium dierum renovabant, et modicum gaudium et humilia decora in familia: in cenis prae sponsalibus vel baptisate, in feriis senum vel nuptiis argenteis, in sanctis Nativitatibus et nautarum reditu sub vetus tectum.

Multi, fortasse, ad ultimam horam, non somniaverint se episcopos fuisse sed, ultimo sperantes longiorem vitam, iis in mentem venerit parva mensa instructa duobus recentibus et olentibus *focaciis* prope lagoenam plenam *brachito* vel candido musto e Moneguettis, et manus movens erunt mortui !

Ille cibus a priscis christianis primum factus est, qui, postquam Sancta Devota venit, Neptuni cultu destiterunt atque apuarum scriblitas majorum deo sacrasreponere volebant pro altero cibo magis convenienti cum novis sententiis.

Tenuia, levia, fere translucida sunt et in iis inest aliquid vividum et lepidum ; praeterea sub dentibus propemodum solvuntur et latentem fragrantiam reddunt sicut virginalem fragrantiam quam aqua ex aurantiis floribus magis firmat.

Praeterea, praedulcibus glebulis rubris et candidis cooperta, dulciter tecum de parva et libera terra loquuntur, sicut blanditiae.

Et quasi jucundum cultum a virginibus celebratum eo ipso die Sanctae Devotae adventus commoneant, eorum dulcia amygdala teneras virgines comitantes fortunate memorare videntur.

Relinquamus autem *focacia* et artem coquinariam, — nam quis scire potest num tales explanationes tibi placeant — ad antiquam narrationem de dapibus Neptuno marique sacris mox redibo.

Illic, in Condominionis litore, maris triumphum ducentes, omnes recentissimi pisces inveniebantur, a lupo usque ad pisciculos sardinarum minutos vel putinam.

Inter rudentes navigiaque, modo suo quisque coquebat ea quae e nassis oriebantur, neque unquam in ulla schola id discebat.

Nonnulli prope navigia focum posuerant neque opus erat pisces portari a nassis ad sartaginem.

Illo die, omnes inter se certabant : hic pisces desquamabat, ille eos secabat, ille ad fornacem mullos barbatos cum petroselino et pauco allio parabat, ille mandolas et obladas frigebat.

Pauci, ut sibi sumptuosum prandium pararent, caniculas in vino coquebant ; alii, delicatiores, auratas fervefaciebant ; mulieres polypum cum aromatibus parabant et inter se loquebantur dum ignem cacabosque speculantur ne oryza nidorem redderet.

Hic marinae anemonae frigebantur, illic scorpenae desquamabantur, et assidue e nassis exhibant percae et labra et marinae castaneae cum seranis, gobiis girellisque.

Illic erant bugae et corvi et gobii et parvi polypi myrrhini et polypi vulgares, et seipiae et murenae et congri et mostelae ; erant sportae bladaram etiam tunc gestientium, auratae roseae, spicariae, sarpae, soleae, gornaliacervique locustarum saltantium.

Paucae quidem erant candidulae at ad lagana vel intritascoquenda, duplex saltem eorum numerus necessarius fuisset ; multi erant echini, tamquam in vehes !

Pueri cum cancro ludebant ; alii felibus duobus dabant tanudam, piscem nec crudum nec coctum esculentum, ideo feles eam contemnebant.

Quo propius erat tempus cum suis ad prandium considendi, omnes ei qui paulum discesserant in litus revertebant et ad meridiem erat culmen festi.

Heu ! quam doleo quod in aetate nostratantum pellicula inventa est : totum motum in ora maris finxisset, sive per illas ferias sive per alia tempora, laeta aut infelicia, acta a quo tempore vexillum nostrum in maribus involitat.

A Portu Interiore usque ad Gaumatas, totum litus vitae plenum erat, et si quis idconspixisset e Bustaniis vel Planis Saxis, sine dubio similis erat formicarum gregis.

Omnes in litore conveniebant : graves viri qui usque ad cenam de implicatis negotiis loquebantur, juvenes, pueri, jocabundi quos paenitebat relinquere citros et aurantia propinqua et merulos caeruleos vel Gaumatenses nigros.

Neque ii omittunt quin veniant (forsitan jam adsint) qui de nulla re cogitant nisi de comedendo et multum mirarentur magnum festum sine ampla esca agi.

In autem litore omne trepidat, omne ridet et hortatur ut festo gaudioquefruaris : viride lignum qui sub sartaginibus et cacabis crepitat, scintillae quae usque ad stellas evolant, oleum quod frigitur, lapilli qui in ora maritima cum fluctu ludunt, ii flucticuli quos mare cito retrahit et condit, perinde ac annosa felis adeo lasciva ut arbitrio suo ludat nec validas ungulas reservatas ostendat.

Aer quoque ridere videtur : odores haerit et servat et subinde eostibireddi vix agitatus : iasmino et viola te donat et nisi forte id tibi satis est, tum a litorali vetereto tibi commixta occurrunt lentiscus et myrtus et inula et thymus et ruta et euphorbia quae tibi dicere videntur : « Agedum ! me cape ! »

Mons resinacearum et odorantiumplantarum fasciculum tibi mittit : tantum est eligendum, manus aperiendae, ad nares eae ferendae citoque rursus claudendae.

Num indomita natura tibi displicet ? Tum pervenit caeparum flatus, nam in proximo aliquis eas secat et in sale ponit ut humorem evomant.

Num rudem ducis istum flatum? Ridet aer ac, si es poeta, in lauro  
leviorem odorem legit et tibi jacet praeteriens.

Tibi quoque praebet, prope turis modo, viridis aromata pini quae flammam  
crepitantes spargit; si esuris, sensus titillat cum sacra oliva quae, combusta aera  
sicut novus panis odorat; quo famem magis excitet, mensarum nidores tibi  
mittit: allium quod incipit fregi, apuarum sorbitionem aut piscium intritam in  
olla vel in cacabis cantilantem, verum votivum donum quod omnes, non solum  
verbis, in mediam familiaricam mensam portant per triumphum.

Illic, in Speluncarum litore, virgines ab ora discedentes in pompa  
profectae sunt, omnescandido indutae; postquam turtures in Florae fanum  
adtulerunt, rosarum violarumque sertis se ornant; deinde, laetae, canentesabeunt  
et, amygdalorum ramos tenentes, in extemporali grurum saltatione revertunt  
quoque ad litus ubi dapes in apertoeas expectant.



# Cantus quintus



**POST MERIDIEM**



*Ma u veyu d'i patele s'èra acortu  
Ch'au fundu d'u batelu gh'èra stisu  
U corpu de 'na dona : ün corpu mortu  
Bagnau de sanghe...*

Prandio confecto, more suoque res suas agit: hic virginem temptat, ille, nummos curans, e frequentia tanta fructum capit ut merces suas exhibeat; alii autem, ad gaudia sola attenti, disperguntur et sub Condominionis arboribus versantur; illic, in hortis, inter rosas, omnes se oblectant et delectantur, cantant et saltant et ludunt ex commodo.

In maris ora tantum manent veteres nautae et pueri qui existimant se optime oblectari in videnda simia in ruderibus vel in navis palo transversos saltanti.

Unus e veteribus nautis tum erat dominus Gaudentius alias « Bellus », talis vir qualis etiam nunc invenitur, qui maximam erga pueros patientiam ostendit; quem pueri petebant quia, nisi qua re urgebatur, eos oblectabat narrandis illis antiquis fabulis quas in vice aviae nobis narraverunt: mille post annos, eadem usque sunt, eadem e quo Divum Pater pueros et avum composuit.

Aliquotiens, ut eis gratus esset, calceos ipsos demebat ad lopadas legendas; aliquotiens, rarius quidem, eis litorales vermes ad girellarum piscatum quaerebat.

Illo die, « Lopadarum Senex » (sic teniores pueri eum appellare solebant) eos binos duxerat in naviculam ab Hellesponto venientem, in qua erant duae magnae mansuefactae simiae; et verba profundeabat ut pueris attonitis explanaret bellissimas simias ab Hispania oriri.

Repente aliquis ad altum conspiciens videt progredientem navicellam et statim vetus nauta quidam, maris peritus, animadvertit, quamvis longinquum, illius navigii velum esse rubrum et candidum. Deinde maxime attonitus animadvertit navem, quamvis placidum aequor sit, vento moveri; omnes stupentes spectant.

Paulo posterius, vetus nauta percipit, ante navem quae directe festinat nec sinuose procedit, avem quoque advolantem.

Spectant omnes stupentes, nec quisquam intellegit quo miraculo navis quaedam, velis sine vento inflatis, ad scopulos nostros adveniat.

Quod in mari rubrum et candidum velum appropinquabat sine vento videbatur esse nugae quaedam incredibiles!... Et ista maritima gallina!...

Pueri, quos disceptationes nunquam allegerant, discurrunt et ubique magnum nuntium divulgant.

Et sicut hodierni pueri, antequam adulti homines id animadvertissent, pueri qui semper iidem erunt, cantionem jam cantabant dictitabantque :

« Velum rubrum album

Quod venit in mari

Id sequitur ventum,

Et gallin(am) a mari ! »

Statim tota multitudo illa quae ad Condominionem dispersa erat, ad litus recurrit navem aut gallinam visum.

Ita, sub omnium oculis, quasi vento potenti moveretur, in portum adit externa navis, et puellae chorum agitant :

« Velum rubrum album

Quod venit in mari

Id sequitur ventum,

Et gallin(am) a mari ! »

Vetus Condominionensis venator aliqui piscatori dicebat : « Ista maritima gallina minor est : stultus habear nisi est columba ! »

Piscator autem ne respondet quidem : « Bellae meae, nolite ridere, funeribus velum retinetur », dicit tribus mulieribus adstantibus.

Alius tamen bene considerat et animadvertit id non esse verum velum, atque anus qui ibi forte net tum dicit : « Equidem nescio cuius rei scapha sit similis, sed istud velum mihi videtur esse sudarium ! »

Et revera est sudarium cruore infectum, cruore vividi rubri, et, ad videndum, claudae ipsae in digitos se arrigunt.

Puellae chorum agitant nec de nave nec de sanguine cogitant, quid pulchrius alioqui quam puellae in gyrum saltantes ?



Tenerae levesque perinde ac papiliunculi, subsilientes, etiam atque etiam circumvertuntur puellae, cantantes atque etiam cantantes cantionem suam :

« Velum rubrum album

Quod venit in mari

Id sequitur ventum,

Et gallin(am) a mari ! »

At vetus dominus Gaudentius « Lopadarum » eis dicit : « Bellulae meae, nolite sic clamitare, sed cito tacete, nam in hac nave jacet mortua ! »

Mihi aliquotiens evenit ut exspectarem, prima luce, in media rariore silva, leporem vulpemve, natura rerum silente.

Quod silentium tecum sermonem habet, et audis et concinnitatem percipis, nulla tamen atricapilla canoram cantilenam cantante.

Fieri potest ut vireonum vel carduelium volatus haud procul adveniat et per colles et valles garrulitatem reddat : crederes eos tot cantiones ad ravim cantare ; sed ubi primum manubalistae ictus resonavit, silentium cor tuum glaciatur.

Etiam si omnes aviculae non fugiunt, repente tamen obstupescunt : se movere non jam audent et silent sicut simulacra.

Ita fecerunt illi papiliunculi qui in numerum clamabant et susurrabant brevem cantionem cujus, properandi causa, puellulae solam cantilenam composuerant.

In illa nave extemporali velo praedita, stabat vetus et seminudus vir, altus senex subfuscus quem nemo cognoverat nec viderat unquam. Senex autem « Lopadarum » conspexerat jacens in alveo muliebri corpus, immobile et cruentum ; itaque, vix significavit ut puellulae tacerent cum clamavit ad cruenti navigii gubernatorem ut appropinquaret et quiete e nave egrederetur.

Tum, maximo silentio, externa navis ad locum a domino Gaudentio designatum provehitur ; antequam tamen terram attingeret, paulisper constitit. Constitit minus quam septem passibus a litore, ad locum ubi Gaumatarum rivus fluit.

A ! quot psalmos antiqui canerent si in hoc benedicto et sancto loco adhuc adessent, ubi navis constitit ! Quo in loco canendum sit strenue et valenter pulchrum canorumque carmen, quia ab illo ipso loco christiana fides lucem suam dispersit et Crucis signum in terram monoecensem et circa est extensa.

Aer tam erat purus tamque levis ut videretur Terra et Caelum in unum se conjunxisse.

Illic, in caeruleo caelo, candida avis super navigium quod sicut gubernator antecesserat, haud majorem sonitum reddebat quam noctua : alae ejus e velluto videbantur.

Levis sicut papiliunculus, volitabat, ibat et redibat et circumibat circum navigium, quasi exstaret solum ad id dies noctesque custodiendum.

Omnes crederentur esse incantati et spiritum comprimebant. Circumcirca, musca audita esset volans !


Tum, illo sacrosancto silentio, senex in nave surrexit et, brachio ad litus tento, magnum Crucis signum fecit quod fines nostras consecraret eique benediceret.



# **Cantus sextus**



**NARRATIO CORSI GRATIANI**



*Se Diu ne manda aiçi cun a me morta*

*Sice chistu païse beneditu !*

*Nun dutu ciü che faři bon acheyu*

*Au veyu mařinà che Diu ve manda*

In Rupe nostra, illis temporibus, nemo sciebat quanta vis quantaque dulcitus essent in illo signo, quod nihil fortasse habiti sapientes ducerent nisi ignominiae cruorisque signum esse.

Nullus enim Monoecensis sciebat quid Domini Nostri Crux esset, sancta et semperviva imago lucis quae crassas praeteriti temporis tenebras aggressa erat, magni Solis imago qui a saeculis jam exsurrexerat et alte sed lente ascendebat, ut caritatisbalsamo omnes humanas plagasungeret et in servo libertatis spiritus gigneret.

Quod majores nostri si scivissent, ingentem clamorem *Eia* et *Hosanna* sustulissent, similem nostri hodierni « Vivat ! » ; nunc veroduxerunt illud signum salutationem vel aliquid officiosi, et omnes siluerunt : quod saltem fabula refert.

Tum nauta remos sumpsit et ad litus appropinquavit et e nave in terram exiit et circumstantibus dixit : « O honesti viri, o bonae mulieres, me docete quo veniam, quaeso, nihil enim suspicor in quo loco simus.

Tam mirum mihi videtur etiamnunc vivere ! A longinquo venio, sine tamen dubio non sum primus e popularibus meis qui portum vestrum tam pulchrum ineam quia, primo ipso aditu, satis fuit intrare ut subito intellegerem multa navigia eo venire.

In terra mea est quoque portus, — minor, quod non est vitium — et apud nos inter artificia quae in maximo honore habentur, pulcherrimum est nautae ; verisimillimum ergo est populares meos post tergum magnae rupis quam colitis non semel refugium petiisse.

Ego vero vocor Gratianus et gubernator sum, fatendum tamen mihi est numquam, per alios cursus meos, tot aerumnas subiisse quot per hunc, et mihi est dicendum clare certumque sine sancta in Jesus Christo fide, non semel, inter litus meum et vestrum morti occurrissem.

Duos abhinc dies oram Corsicae insulae reliqui, terrae nostrae, et sine mora neque intermissione navigavi.

Dico vere « nostrae » quod, sicut videtis, duo sumus in nave, ego et mortua misera : quam flebile est considerare nautas sicut nos !

Mortuam vero meam commiserabimini, ambos commiserabimini : nullatenus explanare possum quomodo usque ad vos pervenerimus, quoniam, nisi erro, nec Corsi nec Sardi essevidemini.

Nudius tertius vesperi sumus profecti non per libidinem : Praefectus enim in hac terraunde venimus nunc dominatur, et sine dubio nos speculatur vel nos etiam petit, postquam illam virginem exquisitissimis suppliciis necavit, atque quoque volebat ista tormenta producere corpore ejus urendo, ne jam unquam ne paulisperquidem mentio de virtutibus nec fideejus esset facta.

Patri autem illius miserae virginisnullum aliud bonum erat nisi filiola tenera vividaque, ergo saltem volebat, illa mortua, ad sepulcrum lacrimare licere, sive in montis culmine, sive in ima valle, proxime domum aut in extremo orbe.

Fuit dominus meus, fuit optimus vir ! Ictu accepto afflictus, priscum servum adivit et manus meas osculans suppliciter oravit ut pro se teneram mortuam servarem et in nave procul deportarem.

Statim obscura sub nocte profectus sum, sine comteatu, nulla stella in caelo lucente. Mihi autem stellae parvi momenti erant nam in alto magno clariora lumina vidi a quo tempore illa Sancta tam pulchra me docuit in altum spectare, in altissimum, extra mundo qui oculis nostris ostenditur !

Nunc autem non est mihi errandum si vobiscum loquor de iis rebus quas dicere nolo : cras, si ita Deus vult, de iis rebus inter nos loquemur et vobis explanabo, si necesse erit, qualem doctrinam ab illa misera parvula acceperim ; hodie mihi est narrandum unde veniamus.

Et, si redeo ad narrationem inceptam, cum in horrida nocte profecti sumus, mihi fuit magno dolori dominum relinquere et videre solum per tenebras redeuntem in vacuumdomum et adeo funestus erat remorum sonitus ut, primum in vita, lacrimaverim.

Mihi semper in oculis pater ille qui in cruento suadorio filiolum fert, nuper tam teneram quam odoratus fasciculus : leniter eam in navem deponit quasi illa viveret et dormiret.

Lente caput nudat ; in genu sicut ante divinas reliquias, crines cruore coagulatos extremis digitis dimovet, deinde se inclinat toto eo amore captus in filiam habito et etiam majore.

Et filiolae frontem osculatur : nullus flos in mortua, sed paternum osculum vitam ejus bonitate et robore compositam coronat.

Deus faciat ut pater ille maestus magni luctus solacium reperiat in cogitatione de divina fide !

Vicus noster in corsicano litore ad Etruriam vel Tusciam spectanti situs est. Mariana vocatur, plenus pulchritudine et lepore.

Deus faciat ut citissime falsa fides quae hunc locum servitio et caecitate premit ea doctrina tradaturquam Devota misella sanguine suo in scopulis scripsit !

At dum loquor, forsitan aliae miserae virgines hujus instar moriantur martures — quam triste ! — ut veritatem obsignent.

Sit rubrum ob sanguinem signum earum : probat magnum liberorum nostrorum robur. Quid autem turpius quam nullam reverentiam habere in mortuos !

Ut illos magnos casus fugerem, primum ad orientem diu navigavi ; deinde Aleriam petivi hoc animo ut remotius irem ad nautas amicosvisendos qui usque ad Libyam negotiantur, et utendum priscis consuetudinibus ut appropinquarem Charybdem, Siculam Charybdem ubi domino sunt propinqui et magnum praedium in quo seges tam facile quam genista crescit et aurantia melius quam in Hispania.

Ubi primum obscura nox clarescere incipit, quaero, per violaceum aera, litoris vel jugi alicujus umbram, ut naviculam rectum gubernem ; at nisi caelum et mare, nihil est quod oculi reperiant.

Ad occidentem navigo et matutinus aer me irridere et deludere videtur ! Litora veropeto et per horas horasque navigo ; cum tempus viresque impendam, terra tamen longior recedere videtur.

Tandem desperatus, lumbis fractis, paulum abfuit quin omni conatui ad corsicanum litus vel alteram terram repetendam desisterem.

Sudor fluens in me manabat et in capite cerebellum bullientem sentiebam ; sine enim ullo signo, ulla stella, fortuna mea tam mala erat quam in media procella.

Non diu tamen exspectavi dum signum vel stellam acciperem : in genibus ante domicellam ibi jacentem sicut infantem in cuniis, eam oravi clara voce : « O pulchra sanctaque Virgo Devota, nunc aut posterius mors veniat, non timeo ; sed si vult Deus te in Siciliae terram a me afferri aut in alia litora ut quiete dormias in morte, tum mi ostende viam quam sequi debeo. »

Antequam surrexissem, mortuae suadorium a capitis latere paucum dimotum erat et inde candida avis evolavit quae ante vos versatur et recta via profectus est, modo columbae quae ad nidum redit.

Ego autem remos sumpsi et, gratias Deo agens, quo avis mihi ostendebat eo tetendi.

Fessus tamen eram et paulatim vires mihi defecerunt : lacerti fracti erant, humeri rupti quasi in prelo valdissime pressi essent.

Turpis eram et animo morsus quod fatigue vincebar coram virgine quae usque ad ultimam horam parata fuerat ad hostis saevitiam ferendam sine ulla querela, sine debilitatis signo neque ullo timore.

Ubi sanguis puros oculos ejus hebetavit, sicut pulchritudinis flos tum se inclinavit et, si attente spectatis, clare videtis eam adhuc subridentem.

Attamen ego non jam procedere poteram ; itaque, maxima cum reverentia, suadorium quod mortuam circumdabat demo et in duos remos infigo ut levi vento aliquo frui possim.

Et exitus multo mirabilior fuit quam primum exspectabam. Cum diuturna malacia a tristi maesto die quo Devotae sanguis effusus erat permaneret, nullam navem exeuntem vidistis, ego autem multas immobiles factas ; ut tamen illud extemporale velum eam vehat, Dei virgini non opus est eo vento quem nautae petunt et ego qui navigare solitus sum non memini unquam nactum esse prodigiosos ventos qui vela inter malaciam inflarent : tamquam si vobis narrarem me adspexisse scorpenam vel squalum volantes.

Attamen me in portum intrantem clare vidistis ! Vix extemporale velum explicavi, illud sacrum sanctae mortuae sudorium, cum levis aura nos aufert et scapha sicut per stagnum perlabitur.

Sic biduum binoctiumque perlapsa est inter illam magnam malaciam quae nautas reddit immobiles, velis sicut panni cadentibus.



Candidam avem semper sumus secuti, quae numquam ab evolatione constitit ; et si, ut videtis, non fessus est, hoc probat a Deo ipso nobis eam missam esse.

Si Deus huc nos mittit, me et mortuam meam, tum utinam haec terra fortunetur ! Quod aures narrationi meae attente praebuistis mihi est bonum omen et solacium : non jam dubito quin amice accipiatis veterem nautam quem Deus vobis mittit et sanctam mortuam quae fortasse vos rogat ut quiete in Rupe vestra dormiat ! »



# Cantus septimus



**DOMINI GAUDENTII  
RESPONSUM**



*Cun ř'ardente cuřù d'u sanghe vivu,  
U giancu d'u linçè dighe sçü a tera  
E sçü l'aiga : « Veyu a paije ma nun schivu,  
Candu řa fò, ni a lüta, nin a ghera. »*

Ubi senex narrationem confecit, omnes tacentes eum adspexerunt ; adspexerunt candidam avem quae, semper silens, volabat neque aera movebat.

Conspexerunt rubrum sanguinem in velo quod a biduo in mari fluctuabat, sanguinem tam recentem vividumque quam illo vespere ubi e Devotae venis emicaverat.

Conspexerunt teneram virginem in nave dormientem et subridentem, tam candidam quam lilium et prope translucidam ; qui eam videbat de candida rosa vix evanida cogitabat.

Dominus autem Gaudentius alienigenae simpliciter dixit : « Amice, Rupes nostra ab omnibus appellentibus bene habetur, propterea quod historia nostra id testatur : apud nos hospitium est certius quam in ullo alio loco.

Non vero ea clare intellexi quae de isto latrone nobis refert, isto qui, illic, virgines vividas aut mortuas excruciat, et cras id nobis diligenter explanabis ; sed si in animo ei erit huc venire, necesse erit eum pervalidum esse ut intret, si pessulum obdemus porta !

Nos Monoecenses sumus et satis constatab omni aevo est Rupem nostram a quolibet non capi ! Apud nos, si vis dicere « libet », dignitas quaedam est habenda.

Cum caelum te mittat, domicellam, si voles, in terra nostra, sepelies ; et si exitium ejus tam acerbum fuit, hic pacem optatam inveniet.

Et aliquotiens, sub vesperem vel quoque primo dilucilo, cum mare placidum est sicut nunc, cum aer levis est sine ullo spiritu, terra ejus illic conspici poterit, modo oculorum mendacii in extremo prospectu, et caeli fornices erunt sicut pons inter cunas et sepulcrum ejus a Fato disjuncta.

Hodie autem, Maris Deum celebravimus nec miror quod navis tua a deo tuta huc pervenit.

Hodie quoque, quod est multo magis singulare, omnes virgines nostrae Floram, juventutis deam, concelebraverunt, sic vides eventus tuos quoque explanari posse iis rebus quas illae egerunt : Flora voluit ad templum suum ducere illam puellulam quam scelestus apud vos trucidavit. Insaniebat iste ? An eam necavit ad exemplum dandum ?

Dicere videris neque a Flora neque a Neptuno te servatum esse : tum cras vel mox, nobis explanabis quomodo, sententia tua, omnia ea acciderint.

Manu caelum mi ostendis ? Forsitan recte dicas, nam Neptunus delphinum tibi misisset gubernatorem, neque avem aut aliud signum.

An Jupiter ? Cum erga eum reverentiam habeam, mirer tamen, quoniam in mari, ut viventem ducat in tali itinere quale dixisti, imperium suum non satis fuisset nisi frater ejus qui omnium navium cursum regit adjuvisset, et si fratres duo convenerunt, potentius numen eis imperavit ut ad portum te ducerent.

Cras, sine injuriam erga Deos nostros, nobis explanabis quid Devota de iis putaverit et quis sit ille Christus per quem dixisti te salvum fuisse : nobis narrabis ubi eum videris et quales sint prodigia ejus ; tum demum, arbitrio nostro, judicabimus quomodo explanari possint eventus tui.

Interdum, si vis, curabimus ut navigium tuum in litus trahamus et mortuam tuam sepeliamus.

Praeter id quod a Caelo mittimini, magnum studium ad te nos movet quia navigio advenisti, atque omnes sumus maritimi ; postea, si Devota ut dicis, mortua est pro fide sua, nobis satis est et ejus rei notitiam habemus : nihil nobis sanctius est, nihil pulchrius quam libertas et nobis ambo sacri eritis si pro fide quadam venietis.

Sub libertatis signo, sacrosanctae in terra nostra, intrent cruentum vexillum tuum et avis cum alis apertis !

Praeterea, magni ducemus illud vexillum factum a velo quod sine ullo vento in mari navigavit et hodie vesperi Caelum nobis mittit.

Conjunctus cum ardenti vividi sanguinis colore, candidus vexilli color clamet, terra marique : « Pacem cupio, at, si necesse est, nec proelium nec bellum metuo. »



# Cantus octavus



**VESPERI**



*Candu sun arivai dai arcipressi  
E an missu 'n tera a poveŗa piciuna  
Giüstu u suŗiyu dava i darei riflessi  
Sçü a roca che řa fã pei so Patruna.*

E navigio Sancta Devota leniter est extracta ad vesperem, talem vesperem dulcem qualemaiquotiens, sub caelo nostro, hieme sentimus.

Sol illic post Signi jugum occumbebat et paulatim a maris ora ad Speluncos ascendebat umbra, et Gaumatarum fauces obscurabat ; at superius, ante occasum, boni Francisci « frater sol » oppugnabat amygdala quae sub frigida et vespérali aura vix tremebant.

Florida arbor roseo tingebatur, oppugnata blanditiis quas a collium tergo sol etiamtunc mittebat ; postea vero diceres face Bengalensi omnem Speluncorum vicum et totam Condominionem et veterem gentium nostrarum Rupem illuminari.

Illo vespere, tota natura sanctam honorabat liliaceo candore qui, cum rubro martyrii rorecommixtus, purum libertatis sensum solvit ; et ultimi occumbentis solis radii amygdala et Florae fanulum et Revorias cum olivis, quae ab antiquo aevo pacem supplicationemque significabant, sanguine tingebant.

Externa martyre quae placido somno dormire videbatur in rubro suadorio caute implicata, omnes oculos sustulerunt ad candidam colombam quae, papilionisinstar, sine sono nec lassitudine, super virginis caput semper volitabat.

Jam avis repente evolavit et ad Gaumatas recte profecta est quae, dicendum est, antri fatarum similes erant : erant solae obscuraeque fauces, ubi natura tota et maxime illae plantae umbraticae triumphabat ; traditum est in aditu ubi hodie est sacellum, olivam et cupressos esse.

Forsitan Dominus Noster eas illic pavisset hoc consilio ut pulchrum sepulcrum pararet Sanctae quam e tam longinquo usque in mediam gentem nostram in mari duxerat, ut euangelium suum nos doceret et ab assueto mundo averteret.

Candida columba tum directo in indomitam olivam, quae illo tempore, sicut dictitavimus, sacra et benedicta erat tamquam signum pacis supplicationisque, evolavit ; atque sancta pompa avem leniter et silentio secuta est : nullus bedellus, nullus sacerdos nec campanae aera obtundantes, nec praeficae vel tibicinae sicut mos tum erat ubi divites et repentini homines sepeliebantur.

Avis candidas alas sequens, tenera virgo nostra lente ad cupressos adibat quae, Domino volente, illic creverant, rectae, procerae ad caelum ut quodam die



Sanctae reliquiae lente ad Eum ascenderent, plantarum colis purgatae et in sucum mutatae qui in turis odorem stillatur et noctu, sub sereno caelo levique aere, sicut tacitae preces ad Eum ascendit.

In qua vespertina sepultura, omnia placida et quieta et serena erant : nulla lacrima vel lamentatio, nullus singultus nec suspirium ; omnes venerabundi erant et lentis gradibus procedebant.

Omnes scilicet de arcana mortua et itinere cogitabant et sub illius avis haud transitoriae auctoritate versabantur.

Forsitan aliquid nobis etiam nunc ignotum animis majorum nostrorum esset potitum, praesagium aliquid illo tempore a vi latenti populi nostri fortunam mutari.

Silentes, lente procedebant post veterem Corsum Gaudentiumque, qui, capitibus demissis, mortuam ferebant ; in aere autem erat nova res, nescio quomodo orta, ineffabilis, ob quam intellegebant nullum luctum oportere esse de Mortua a Caelo missa, de mortua subridente invito martyrio quod tam mature eam e vita et omnibus gratiis evulserat.

Omnes candido indutae, palmarum et floridorum amygdalorum ramos gerentes, virgines, quae Floram celebraverant, a nullo vocatae convenerant, et omnes pompam sequebantur.

Sepultura autem desinente, aliud pulchrum miraculum eos exspectabat : cum omnes in ea oculos fixissent, candida columba repente vanuit ; sub omnium oculis adfuerat, omnes eam in ramo viderant nec repente quisquam eam jam vidit !

Cum cupressos petiverunt et misellam sepelierunt, sol ultimo reluxit in Rupem quae posterius eam elegit patronam.

Senes, cum haec a domo vidissent et nescirent qua de causa illo vespere sol tam esset ruber, inter se dixerunt : « Rubri vespere, caeli sereni spes »

Eo magis impellimur ut credamus ab illis temporibus quae antiquis historiis finem imposuerant natam et conditam esse Rupis nostrae felicitatem.



# **Cantus nonus**



**EPILOGUS PRIOR**



*I Munegaschi minu řu batelu*

*Davanti d'u valun « Santa Devota »*

*E u tiřu sçü d'a grava e ghe dan fegu.*

Septingenti octaginta annos jam praeterierunt, nunc est 1084<sup>tus</sup>annus : humana societas non jam idola colit quidem, sed paululo melior facta est.

Bella caedesque vixit, et proelia cum Sarracenis, et irruptiones Vandalorum Lombardorumque, qui everserunt mirabilia et thesauros, posterius minute colligenda ut lacrimantes homines ea contemplarentur, atque de elegantia exquisitaque arte jam ostensa a majoribus nostris ante Romam deletam cogitarent. Rupes tamen nostra et circumstantes loci non multum mutata sunt ; pauca per documenta verum a falsocerto discerni licet.

Credendum vero est Sanctam Corsam nostram non desiisse Rupem protegere, nam uno adspectu in historiam nostram sentimus tam parvas fines quam nostrae usque ad hodiernum diem inter omnes eventus et fraudes circumstantes non potuisse permanerere solo.

Non solum usque ad 1084<sup>tum</sup> annum sed usque ad 1927<sup>mum</sup> annum sub iisdem principibus permanebant, quietae in totum nec tres vel quatuor potentia regna eis non sunt potita : sine fide a religione mota, hoc fabulae simile est, quod illud velum rubrum et candidum, vexillum Monoecensium factum, semper in vento risit.

Plus quam mille annos abhinc, illi colores erant Principum et vestium virginalium.

At, sine mora, redeamus ad narratione de sancta : septingenti octaginta annos jam praeterierant, erat 1084<sup>tus</sup>annus, quinto decimo anno antequam Crucigeri profecti sunt. Fere octo saecula praeterierant et Sancta Devota jacebat ad radices rupium quae fortasse non multum mutatae erant ; alioqui nemo volebat eas tangi.

Vallis non jam « Gaumatae » vocatur sed « Sanctae nostrae vallis » et si quis ullam plantam desecabat, execrationes audiebat veteris monachi qui illic manebat, in illa valle, neque ullo modo minima lapis motus esset, adeo sacra erant Sancta et loca.

Monoecenses minimum sacellum ibi aedificaverant cujus simplicitas pulchrior erat quam hodiernus Mediolani tholus : satis erat ut comprehenderet modicas majorum preces qui modestacum fide orabant sciebantque luxuriam pro nihilo haberi.

Genua vel fortasse a Provincia sub Carolo Magno aut paulo posterius venientes in Rupem nostram, Grimaldi libertatem nostram jam defendebant : coloribus Sanctae, Deo juvante, ad Orientem sicut ad Occidentem protecti, multa commoda impetrabant.

Et Sancta dicebatur alteram tutelam iis praebuisse quam soli veli sui colores : aliquotiens, cum sub vesperem, post diuturna proelia, animus adversus potentiores hostes eis deficiebat, eis vivida in moenibus apparebat, oculis plenis comitatis et dulcitudinis et tranquillitatis, subridens sicut primo die quo, mortuam, excruciatam cruentamque Monoecenses circa eam cum languiscenti rosa contulerant.

Nunquam autem eam viderunt, gladium aut aliud telum in manu gerens, hostes caedentes, neque etiam illas exsecratas gentes e Barbaria ortas ; sed amicis gratum risum praebat, ceteris autem decessionis iter ostendebat, cum eo vultu quem habemus ad iudicandum, et cum ea palmula quam primi pictores in manibus ejus posuerunt, eam fingentes subfuscam et proceram virginem.

Adeo magna Sanctae nostrae ejusque prodigiorum ab omnibus visorum vel auditorum fama erat ut latro quidam crederet se facinus facturum esse si misera ossa auferret quae ab octo saeculis dormiebant ubi majores nostri continuato agmine illam deposuerant eo ipso die quo advenerat.

In obscura nocte, sine luna, clam praeter scopulos repens, pedetentim progrediens, sacellum petiverat perinde ac felis vel vulpes quae noctu procedere et progredi potest, nullo lapide vel folio tacto. Effracto sepulcro, ossa in terra quaesivit, similis hyaenae in sepulcreto ; quae cum repperisset, cito ea detexit, in saccum imposuit, prompte fugit, inque navem cito attulit, caeli caligine omnia indistincta faciente.

Postero die mane, prima luce, felix aura ab occidente orta est, quam sensit latro, iste sacrilegus nautas suos propere vocavit et gnaviter magno labore vela sustulit ut altum peteret. Vela sustulit et laxavit, et subito navigium solutum exiit, iste enim fur quoque vetus nauta fuit qui ab omni tempore navigare solebat et peritus erat maris necessitorum.

At vix in medio portu erat cum feliciter eventus alio versus est : cum ventus vela in puppim tenderet, cum nave remiges in conniterentur, cum latro conclamaret et blasphemaret, cumque omnia moliretur, navigium tamen

immotum mansit sicut scopulus radicans in fundo ; a litore aliquis id animadvertit statimque totus populus conveniebat.

Si autem minuta narrarem longius epilogus producerem qui breviendus est ; alioqui ego ardelionem simulare nec vero transire ab unam rem ad alteram nolo, hanc longiorem fabulam contrahere tamen possum. Princeps ipse a Rupe descenderat ; nomen ei erat Hugo, nisi erro ; cum judiciorum formulae breviores essent, fur fateri debuit, statim et coram omnibus, se sacras reliquias subripuisse et statim ea reddenda fuerunt.

Illo tamen tempore, ad latrones judicandos, neque isti periti homines neque isti magistratus qui faciant ut scelus amentia fiat adhibebantur, itaque asperrime judicabantur.

Hugo jussit latronem a duobus vigilibus apprehendi et statim nasum ei desecari — quod dicunt aliquoties in quibusdam casibus factum esse — nec gemitu ejus movebatur.

Quoque aures jussit desecari : post ea, sive fuscus sive flavus sis, sive crassus sive tenuis sis, tempta inter homines vagari vel bellus apud virgines haberi !

Postremo, quo poena magis conspicua et exemplum firmiter in omnium memoria in aeternum tempus esset, Monoecenses navigium ante Sanctae Devotae vallem duxerunt, in litus traxerunt incenderuntque, pollicentes se ibidem combusturos quicumque Sanctae reliquias temptaret.

Quo sacramentum illud validius confirmarent, coram hominibus juraverunt se eventus memoriam semper renovare, nave quotannis urenda, pridie festi diei Patronae quae, a Caelo Monoecensibus missa, hic manere neque eos deserere cupiebat.

Vehemens festivus ignis ad caelum flammis tam altis quam montes emittebat et usque ad caelum Monoecensium studii et gratiae erga Sanctam plenorum clamor eas comitebantur.

Sanctam quae, illecebrosa cum gratia, divina cum gratia, mari tam e longinquo venit apud nos quiete dormitum, quae hic permanere cupit et certo permanebit dum sol obscuretur et mare siccet vel taceat.



# **Cantus decimus**



**EPILOGUS SECUNDUS**



*Garde cù è, che açende u batafegu :*  
*« U Principe de Mùnegu ‘n persuna ».*





1927<sup>to</sup> anno ! Denuo praeterierunt octo saecula, sed nunc valeant pax et quietudo : adest progressus qui semper procedit !

Ignorantia vanescere videtur, ubique sunt superiores scholae. Florent tamen leves homines qui, ubi primum legere vel scribere sciunt, superbia et jactantia inflantur.

Alioqui, institutione celeriter procedente, unicuique licet, semel aut sensim, omnes maxime sublimes et exquisitissimas res commode discere.

Noli mirari quod non jam exstet juvenus : ut enebrietur aliquis, vinum non est satis, omnes descendunt ad drogarum venena.

Quoque fuerunt bella et sunt etiam nunc, magis perniciosiora et formidolosiora quam prisca ; nobis vero, munere Sanctae Devotae, pepercerunt, saltem usque ad hodie.

Si audis turpitudines in iis perpetratas, capillus in capite horrescit : in impiis proeliis, juvenes caesi sunt gasis suffocati ; bombardationes valetudinariae et ecclesias et naves aegrorum plenas sustulerunt ; mersa sunt actuaria, omnia eversa sunt quasi centies terra tremisset !

Tanta ubique fuit miseria ut verecundia sentiatur quin eam tulit ; et ob solam eam causam quod non est deleta, Rupes nostra a multis acerbe vituperata est.

Attamen quiete vivimus, plus minusve, quia non magni habenda sunt minima acta.

Humanum genus cogitur ne unquam quiescat, quasi nunquam fatigari posset ; labor et morbi non satis sunt, torquendum est omnibus nostris studiis, parvis aut magnis, id solum curant otiosi et mali cives.

At non est tempus philosophandi, tantum animadversiones nonnullas praebendi, et de sola Sancta Devota loquendum est : mihi datur venia de calami errationibus.

26<sup>to</sup> januarii 1927<sup>mo</sup> ! Hic loquuntur hebraica et britannica et russica linguae, is autem qui linguam monoecensem scit eam rejicere debet, quia non est res lautissima.

Nos, populares, sparsi sumus inter alienigenas omnimodos qui plerumque nos contemnunt propterea quod humiles sumus et procul ab ista turbanunc vigente.

Aliquotiens quoque isti nobis verecunde utuntur : id non animadvertimus et iter pergimus, judicantes quis nos offendat et quis laudet.

Prisco modo Vestalium, semper sacrum ignem accensum custodimus, integrum clarumque, simul cum Devotae cultu tradito, sancti vexilli amorem praeservantes.

Rebus novis non commovebimur, et, sub claro sole, sub imbre vel nive, semper faciemus quod factum est semper.

Circum nos cernuntur anseres alas jactantes alique singulares volucres qui cristam erigunt ut praestrici simus aspectu eorum ; novae res ante oculos nostros accidunt : autocineta et perdivitissimi scatent et ante portum actuarum sistunt in quibus legiones multae ascendant.

Quid majores nostri dicerent si resurgerent ad mutationes videndas ! Videnda magna deversoria aedificata, videndos homines assiduo commissantes.

Certo non intellexerent se in sua ipsa terra adesse, praesertim sub vesperem cum autocinetorum lumina per spatium accenduntur.

Tamen, prope sanctam Devotam, magnus ignis crepitans subito accenditur, eodem loco ubi saepe eum accenderunt ; ad caelum easdem ardentes flammam emittit et vox quaedam eis videtur per praeteriti temporis tenebraseos vocare.

Illam vocem, quam fortasse carnae aures nostrae non audiunt, mortui, qui sunt purae animae, plane audiunt et, exersis arcis desertis, omnes circum focum conveniunt, contenti et elati quod sacramentum ibidem juratum confirmetur, non obstantibus mutationibus omnibus ob progressum.

Caelo Hosanna ! Gaudete, defuncti, et superbi este quod inter fortes numerati estis, sacramentum vestrum servatum est.

Videte quis festivum ignem accendat : est Monoecensis Princeps ipse !

Videte quis circum eum coronam componat cum toto populo nostro : sunt liberi et nepotes ejus !

Nave combusta, revertitedum in antiqua aut nova sepulcra vestra, sive aetaseorum sit a saeculo uno sive a tempore quo Hercules genus nostrum condidit !

Ibi quiete dormite mortis somnum, nectempus nec progressus tam valent ut id deleatur quod corintusin nobis inscripsit.



Convesi in linguam latinam

(a francogallica versione ab Yves Gourgaud, 17 januarii 2020),

confect a Pierre FALLERI, 28 februarii 2020.